

pendenti bullatas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, ut prima facie apparebant, nobis per venerabilem et religiosum virum fratrem Iohannem Thome, ordinis fratrum minorum professorem, principalem in eisdem litteris apostolicis principaliter nominatum, coram notario publico et infrascriptis presentatas, nos, cum ea qua decuit reverentia, recepimus huiusmodi sub tenore : « EUGENIUS episcopus servus servorum dei, dilecto filio archidiacono ecclesie Nonensis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice servitutis studium circa diversa que nostris agenda incumbunt humeris, illud est potissimum, ut circa ecclesiarum et monasteriorum omnium statum salubriter et prospere dirigendum sic diligentia contempleremur intenta ad ecclesias et monasteria ipsa, sublatis ab eis sinistris quibuscumque, nostre providentie ministerium, Altissimo concedente, preserventur a noxiis ac felicia in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Thome, ordinis fratrum minorum professoris, petitio continebat, quod licet monasterium Sancti Benedicti, Iadrensis diocesis, inter alia illarum partium monasteria satis notabile reputatum fuerit, et alias ab antiquo iuxta famam publicam earumdem partium, in eo abbas cum aliquibus monachis, in divinis inibi servientibus, residere consueverit, tamen illud quasi derelictum a triginta quinque annis citra remansit, prout etiam hodie remanet, eiusque structure edificia, excepta ipsius ecclesia que adhuc in dispositione bona existit, pro magna ipsorum parte defectum non modicum patiuntur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dilecti filii communitas Terre Paghi, prefate diocesis, se et eandem Terram in certo loco dicto monasterio propinquo transferre, ac novam Terram inibi sumptuoso ac notabili opere edificari inchoatam ad sui perfectionem deducere intendant, et quod ipsum monasterium in spiritualibus et temporalibus summe desiderant, nec non ad id suffragia possibilia impendere proponant; et, sicut accepimus, prefatum monasterium, cui quondam Andreas de Sancto Severino, ipsius monasterii abbas, dum viveret presidebat, per obitum dicti abbatis Andree, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad presens, licet archiepiscopi Iadrenses, qui interim fuerant, per tempus triginta annorum, huiusmodi prefatum monasterium eiusque possessiones et bona absque concessionem apostolica detinuerint, prout etiam venerabilis frater Laurentius archiepiscopus Iadrensis, credens illud ad mensam suam archiepiscopalem spectare, detinere dignoscitur, Nos, cupientes prefato monasterio de persona secundum cor nostrum utili et idonea, per quam circumspecte regi et dirigere salubriter valeat, providere, et alias de meritis et idoneitate dicti Iohannis, qui, ut asserit, de antiqua Terra predicta oriundus, ac in quinquagesimo et ultra etatis sue anno constitutus existit, et pro quo communitas et predicti, asserentes quod sperant ipsum Iohannem propter eius virtutes et merita dicto monasterio